



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

46. Eorum exemplo multi Societatem petuitum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

tus in eorum delestationem , suasore deinceps confessionis minimum eguit ; rogabat quin etiam sanctum patrem , ne se abiceret , suorum scelerum offensus grauitate . Applicuerat interim haud procul a Coulano classis , & exscendentem cum suo milite beatum Patr. m. subsecuti sumus aliquot ex eadem naui . ( inquit pro testimonio Franciscus Ledijs ) scire audi quo amicitia tam præcox , & commercij arcana tam nouum , mysterium tandem desinere . Videmus autem , ambos se in syluam abdere . P. M. Franciscum ad truncum arboris confidere ; militem ad illius pedes genua flectere , singultantem crebro , & ea copia lacrimarum , vix ut posset vocem in verba formare : peracta ex homologesi ; poenæ loco nihil imperauit , nisi Pater & Aue semel recitandum . Qua is nimium prodiga indulgentia hæsitans , causam eius non diu ignorauit ; concedens vir Dei in interiore syluam , & velte detracta , lauaque effigiem crucifixi tenens , coepit crudum in modum catena ferrea in se ipse lacerare , & sanguinis rios ex humeris ducere . Miles vel strepitum plagarum , vel suspicionem aliunde iniectam secutus , vt hoc vidit , & ex iis quas sanctus dixerat pro se fieri intellexit , ad eum accurrit flens , & voilferans , mihi Pater , non tibi qui Sanctus es , mihi reo , & misero debetur haec poena , & rapto ex eius manibus flagello , cam in se acriter conuertit , militibus pie illacrimantibus qui ex occulto vtrumque explorabant . Atque hic demum penitentem complexus , & salutans , redire se Goam significat , quod ea tantum eius causa venisset , vt reconciliaret ipsum Deo : monitis illum solidis reficet , quibus in suscepso boni proposito constanter duraret , deumque vereri contendet , qui licet interdum , haud tamen semper sequitur fugientes ; nec frustra fuit haec adhortatio , perfundetus miles infesta illa Adeni impugnatione , religiosam familiam init vbi magna laude virtutis , & asperitatis diem clausit extreum .

45

*Decem ex Europa socij Goam appellunt.*

46

*Eorum exemplo multi societatem pertinuerunt.*

Edenti hos fructus in Oriente Xauério , alij ab Occasu nascebantur , quorum suis ardentibus in Italiam & Lusitaniam literis semina miserat , dum Patres vocaret ad ethnicam illam Indiæ vastitatem suis sudoribus & sanguine rigandam haud quidem pluribus quam decem concedi potuit fors felix , sed quorum singuli multorum vicem eximiè implerunt . Naui S. Petri prætoria quinque vehebantur Gaspar Berzeus , Melchior Gonzalez , Baltassar Gagus , Acgidius Barretus , Ioannes Fernandius . Galega vero ( quod nauis alterius nomen fuit ) pari numero alias ferebat Antonium Gomezium , Paulum Valleni , Franciscum Gonzalez , Manuelem Vazium , & Ludouicum Froesium . Illis præcerat Gonzales ; ipsis Gomezius . Cunctis Apostolica virtute Berzeus eminebat , cui post Xauérium , parem vix habuit India . Vlyssipone Martij 17. anno 1548. cum se Mari dedissent , post immanissimas tempestates , Septembbris tertio primum Prætoria , tum Octobris nono Goam applicuit Galega , inexplicabiliter omnium , Xauerij maximè & Berzeiad primos conspectus , & salutationes voluptate .

46. Nam de rebus Berzei Sanctus pater iam ante acceperat , & tunc partem

partem eorum suis oculis hauriebat, quæ in illa horrenda geffisset nauigatione. Multi enim vœtorum ad pedes Xauerij ex nobilitate lectissima prouoluti, Societatem petiere: horum princeps, natus totius Praefectus; deinde alius, Gubernator arcis Lusitanorum in India præcipua, doctor item juris & trivisque insignis; & Ludouicus Mendesius qui & ipse in nauicum patribus, iuuandis ægrotis nauabat operam; Iacobus Lobus baro-nis Alueti Sororius, iuuenis item scriba, virtute egregia, literis commode instructus, præter nobiles præclaræ indolis quatuor, & mediocris no-tæ alios complures; de quibus, nisi de Mendesio non constat, quinam in Societarem admitti sint, sed constat omnes sancti Ignatij Exercitatis excutios. Dies quinque cum nouis sociis exegit S. Pater, moxque Comornæ Christianitati latus superias accurrit, à mediterraneis barbaris divexatae, ut eius neophytes in fide confirmaret, & ab Lusitanis defensionem iis impetraret. Inde ad Octobris vigesimum alterum Goam redux, quinque alios socios tardiore Galega appullos inuenit: Antonium Gomesium Simonis Roderici designatione Goano præfecit Collegio, hominem agendo, quam gubernando meliorem, ut tristi postea euentu palam fecit; Criminalem, Lancillotum, Camerrem, Cyptianum, S. Ignatij mandato in spiritualium adiutorum adsciuit gradum, statimque Cocimam natigauit. Quo Petrus Gonzales Vicarius, idemque peramicus pridem illum vocabat, ut Sanctis ipsius laboribus saum quoque populum recrearet. Bimestre illic conuionatus est, pueros fidei principia docuit, ægrotis ministravit; conuersationibus ethni-corum iuxta, & Christianorum apostolicae operæ pretium abunde tulit.

Duobus quoq; ibidem miraculis sanctitas eius insigniter micuit; Qua-drienniis puer febi absumpitus quadrimestri, misere languebat, & pridem Medicie curatione abstiterant, quod arte humana insanabile censerent. Pa-tentes vehementer quidē infantis morbus, sed magis acerba mobili proli-xitas affligebat, cum incertū qua causa ædes illorū Xauerius subiit, ex quo statim plus opis sperarunt si iacentē videret, quam si absens pro filio roga-retur, ergo illum ad pueri lectulum deducunt innocentis missus, cruce illum, ut erat ipsi mos signauit, Euangelium illi recitauit; nihil præ-terea, moxque puer mortuo similis, oculos aperire, loqui, alacritatem præferre insolitam; quod parens miratus, ratuſque quod erat, puerum valere, manu, pectus, & frontē illius explorat, quæ cū adueniente Xauerio æstuarent, tunc non modō ardore exuerant, verum etiam natuā corporis sani temperiem planè receperant. Et verò sic consanuerat, ut lecto confestim surgeret. Optabilior fuit valetudo quam alteri contulit, longè deterius ægrotanti. Volebat is animo scelus, quo temporis puncto ad S. Antonij offendit Xauerium; accessit nihilo cunctantius ad salutem di-cendam viro Dei, & manum osculo admouit, erat enim illi apprime notus, & pridem addictus; exceptus est comiter à sancto, sed ore confestim serio, rogatus sat in salua, satisne is valeret? satis, Dei gratia, respon-dit.

47

Miracula duo  
S. Xauerij  
Cocinj.